

licet declaratio ista legaliter non probet, utpotè præscriptis solemnitatibus destituta, tamen cum omni reverentia suscipienda erit, nisi forsitan obstarent particulares locorum consuetudines piè et laudabiliter introductæ, quibus regulariter nec Constitutio papalis censetur derogare, nisi id sufficienter exprimat *cap. 1 de Constit. in 6.*

Quod dictum est de responsis S. Congr. Concilii, id proportionaliter tenendum est de declarationibus aliarum SS. Congregationum, ut Immunitatis, Indicis, super negotiis Episcoporum et Regg. etc.; quarum declarationes comprehensivæ vim juris habent, præsertim si secundum illas pluries uniformiter in eodem casu judicatum est à S. Rota, et aliis tribunalibus.

Obj. 1.º Ad substantiam legis requiritur promulgatio (*l. 1. 2. ff. et l. 3. 9. C. de LL.*); sed responsa S. Congr. non solent promulgari; ergò. Undè Gonzal. loc. cit. præter tres relatas condiciones, scilicèt ut declarationes sint *comprehensivæ, fiant consulto Papa, et producantur in forma authentica*, requirit quartam, *ut publicè promulgentur.*—*2.º* Lex concipi debet verbis præceptivis, seu obligatoriis (*arg. l. 1. ff. de LL.*); sed responsa S. Congr. concipiuntur verbis doctrinalibus et explicativis: *censuit, censemus*; ergò.—*3.º* Cardinales æquiparantur Judicibus et magistratibus auctoritate principis pollentibus (*arg. l. 12. v. cur autem C. de LL.*); sed sententiæ Judicum et magistratum non faciunt jus universale, sed solum particulare inter partes (*c. 25 de Sent. et re judic., l. 2. C. quib. res judic.*); ergò nec responsa Cardd. faciunt Jus universale.—*4.º* Circumferunt declarationes sibi contrariæ.—*5.º* Declaratio Cardd. in materia fidei non est authentica, sed doctrinalis; ergò in materia morum est authentica.

R. *Ad 1.º* Solemnitas promulgationis, loci et temporis requiritur ad condendam novam legem, qualiter etiam decreta Congregationis novum jus statutaria promulgari solent, apposita nota loci et temporis, sed non requiritur ad solam interpretationem Juris antiqui præexistentis, cum ab initio inesse censeatur.—*Ad 2.º* *Censere* in sensu juridico sæpè idem significat quod decernere, statuere, jubere (*l. censeri 3. ff. de V. S. l. 52. ff. de contrah. empt.*)—*Ad 3.º* Nego Maj. quia potius æquiparantur prudentibus, quibus princeps suam auctoritatem tribuit ad universum jus interpretandum; nam judices et magistratus habent potestatem limitatam ad certum territorium, ut inibi secundum jus judicent; e contra Cardinales ex concessione Papæ habent auctoritatem illimitatam, ut pro tota Ecclesia interpretentur Tridentina decreta Reformationis.—*Ad 4.º* In forma authentica vix producentur declarationes contrariæ, cum ex diversitate casus et circumstantiarum conciliari possint. Si tamen verè contrariæ essent, posterior derogat priori (*arg. l. sed et posteriores ff. de LL. et l. fin. ff. de Constit. Princip.*)—*Ad 5.º* C. A. et N. C. Nam declarare dogmata fidei reservatum est soli Sedi apostolicæ, per cirt. constit. pontificum.—Hic adhuc objici posset *c. 31. de sent. excomm. ibi: undè jus prodiit*; Const. Sixti V. *cit. in pr.* ubi legitur ad Papam tantummodò spectare generalia concilia indicere, confirmare, interpretari *l. 12. C. d. LL. ibi: si enim in præsentibus*; Bulla Pii IV. *Benedictus Deus*, ubi negatur Doctoribus interpretatio doctri-

nalis: ergò hæc solum Cardinalibus censetur concessa. Sed hæc et similia ex dictis soluta manent. Vide Fagn. loco cit.

20. Q. V. *Quid juris faciant decisiones Rotæ romanæ, seu summi tribunalis apostolici?*

R. Faciunt quidem jus inter partes, non tamen jus universale pontificium; nam non constat huic datam esse potestatem leges condendi, sed secundum leges, seu constitutiones papales judicandi: ejus tamen decisiones sunt magnæ auctoritatis, et prævalent opinioni aliorum doctorum, modò sint uniformes; et ideò *Rota loquente, cetera tribunalia obmutescunt*, ut ait Mandos de monitor. q. 27 n. 6.

§ V.

De principiis, antinomia et usu Juris Canonici.

21. Q. I. *Quæ sint principia, seu loci, ex quibus sacra jurisprudentia sua desumit argumenta?*

R. 1.º Jura naturalia, tanquam primus fons, ex quo omnia jura fluunt, seu tanquam prima principia ex quibus humana jura per modum conclusionis mediatae convenienter deducuntur.—2.º Jura divina positiva præsertim Novi Testamenti, imò tota Sacra Scriptura et theologia est fons uberrimus argumentorum canonisticorum, cum Canones conformari debeant sac. theologiæ.—3.º Traditiones divinæ et ecclesiasticæ, consuetudo et praxis ab Ecclesia recepta.—4.º Decreta, seu Canones scripti et conditi à conciliis et summis Pontificibus, cum Canones auctoritate Pontificia nixi, sint propria et intranea principia, ex quibus canonista concludit.—5.º Jus civile Rom., cujus notitia est summè et simpliciter necessaria ad intelligendum jus Canonicum, prout hodiè in scholis et tribunalibus ecclesiasticis practicatur.—6.º Hunc etiam pertinent dicta, et sententiæ Patrum, philosophorum præsertim ethicorum, auctoritas historicorum, ratio naturalis, vel ex legibus elicitæ, aut in eis fundata.

22. Q. II. *Quomodo Canonistæ ex his principiis argumententur?*

R. 1.º Allegando textum juris, quo res positivè probetur; nam *erubescimus sine lege*, aut Canone loqui (*Nov. 18 c. 5*); et ideò ab auctoritate negativa in jure validum est argumentum. 2.º à specie facti, vel à ratione legis aut canonis. 3.º à sensu contrario, dummodò non sequatur correctio jurium, pœna, iniquitas, vel aliud absurdum. 4.º ab exceptione ad regulam firmandam in casibus non exceptis. 5.º Denique à regulis juris, et axiomatibus in jure receptis, aliisque hujusmodi, ut à paritate, identitate rationis, à congrua et subtili interpretatione, à casu vero ad fictum, à connexis, à tacito ad expressum, et e contra, à causa ad effectum etc. Subtilitates autem dialecticæ cavendæ sunt, v. g. an definitio sit rigorosa, an membra univoca

etc. Cetera de his vide in Controversiis nostris civilibus, et pro facilitate observa praxim et modum in jure versatorum.

23. Q. III. *An in jure Can. reperiatur aliqua antinomia, seu contrarietas legum, aut canonum?*

R. 1.^o In diversis partibus juris canonici non est dubium multa contraria reperiri, et tunc locus est regulæ: *Lex posterior derogat priori* (l. fin. ff. de const. princip.), atque ita decreto Gratiani derogatur per Decretales Gregorianas, his per lib. Sextum, huic per Clementinas, et his omnibus per Conc. Trid. et alias Constitutiones pontificias posteriores, modo certæ sint. — 2.^o In eadem parte, seu compilatione ejusdem Pontificis non facile admittenda est contrarietas (arg. l. 2. § contrarium C. de V. J. E.); ne idem juris conditor in eodem opere sibi contradicat. Unde cum correctio jurium sit odiosa, omni possibili modo jura invicem concilianda sunt (l. 26. 27. 28. ff. de LL.), nisi expressè canon unus corrigat alterum, sicut c. 2. et 3. de censibus in 6.

24. Q. IV. *Quis sit usus juris Canonici præsertim in concursu juris civilis?*

R. Pro hoc tradi seqq. regulas: 1.^a Si agitur de materia spirituali et ecclesiastica, in utroque foro decisio fieri debet ex jure Can., non attento civili, v. g. de sacramentis, beneficiis, decimis etc (tota dist. 10 et 96. c. 2. de Judic.); nam de rebus spiritualibus disponere est solius potestatis ecclesiasticæ, non verò politicæ, quæ ultra materiam profanam se non extendit. — 2.^a Si agitur de personis ecclesiasticis, vel ecclesiis, seu locis religiosis, in utroque foro attendi debet solum jus canonicum, (c. Ecclesia 10 de Const.) ibi: *Nos attendentes, quod laicis, etiam religiosis, super Ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi*; nam nulla jurisdictio laicis competit in ecclesias et personas ecclesiasticas. Quod verum est, etsi leges civiles contineant aliquem favorem, attamen mixtum mandato, obligatione et jurisdictione, ne prætextu favoris jurisdictio laica exerceatur in Clericos et Ecclesias (uti l. 14. C. de SS. Eccl., l. 47. C. de Episc. et Cler. etc.); at si leges civiles merum favorem Clericis vel Ecclesiis concedant absque ulla jurisdictionis et obligationis specie, deficiente jure canonico, servandæ erunt in utroque foro (uti Auth. ingressi, et si qua mulier. C. de SS. Eccl. etc.); nam favor et beneficium cuique extraneo, etiam non subdito, concedi potest. — 3.^a Si in quacunque materia, etiam profana, agitur de conscientia et peccato, in utroque foro observari debet jus canonicum, non verò civile ab illo discordans; nam disponere circa ea, quæ salutem animæ tangunt, est solius potestatis spiritualis (cap. 6. de M. et O., extrav. 1. eod. inter com.) Sic præscriptio cum mala fide reprobatur cap. fin. de præscript. et per cap. fin. de sepult. hæredes secundum vires hæreditatis tenentur exonerare conscientiam defuncti, qui ex delicto damnum intulit contra lib. un. C. ex delicto defuncti, quæ non obligat hæredes ad satisfaciendum, nisi in quantum ex delicto, ut furto, aliquid ad eos pervenit. — 4.^a Si jus canonicum et civile disponant in materia profana, ubi non tangitur ratio conscientiæ et peccati, quodlibet jus, etsi contrarium sit, in suo foro observandum est, v. g. circa

solemnitates testamentorum, contractuum, pœnarum etc.; nam in tali materia potestates istæ discretæ sunt, et una non subordinatur alteri; (can. 8. d. 10. et can. 6. d. 96.) ubi Nicolaus Papa ait: *cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit.* — 5.^a Si in materia profana jus civile vel nihil, vel dubiè disponit, jus verò canonicum clarè, sequenda est dispositio juris canonici et econtrà, Nov. 83. c. 1. et cap. 1. et 2. de N. O. N.; ubi in cap. 1. ponitur celeberrimus et quotidianus textus: *Sicut leges non dedignantur sac. Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Unde Bald, in Præm. decr. num. 2. ait: *Juris Canonici sanctitatem juris civilis sublimitate decorari, et juris civilis majestatem Canonum auctoritate firmari.*

§. VI.

De modo citandi, et discendi Jus Canonicum.

25. Q. I. *Quomodo citetur aliquis textus ex Decreto Gratiani?*

Ante resp. nota tres esse partes Decreti. Prima continet 104 distinctiones, divisas in capitula seu canones. Secunda continet causas 36 quæ dividuntur in quæstiones, et hæ in capita, seu canones. In causa 33 q. 3 intermiscetur tractatus de pœnitentia, divisus in 7 distinctiones. Tertia pars continet 5 distinctiones de consecratione, subdivisas in capitula seu canones.

R. 1.^o Decreti prima pars citatur allegato capitulo et distinctione, sive capitulum seu canon allegetur primò sive ultimo loco, sive per initiale vocabulum, sive per numerum, sive per utrumque; v. g. *Can. erit. d. 4.*, vel *Can. 2. dist. 4.*, vel *c. erit 2. d. 4.*, vel *c. 2. erit. d. 4.*, vel *d. 4. c. erit.* hoc est, in prima parte Decreti, distinctione quarta, canone seu capite quod incipit ab hoc verbo *Erit.* — 2.^o Decreti secunda pars citatur allegato capite, seu Canone, causa et quæstione, v. g. *c. audi 11. q. 3.*, vel *11. q. 3. c. 21. audi*, hoc est, in secunda parte decreti causa undecima, quæstione tertia, et Canone vigesimo primo incipiente, *audi*; ubi advertit, quod numerus sive romanus, sive barbarus hodiè usitatus præcedens litteram *q* semper significet causam. In citatione causæ trigesimæ tertiæ, quæstionis tertiæ, plerumque omittitur numerus causæ et quæstionis, allegato solum canone et distinctione cum addito *de pœnitentia*, v. g., *c. multi, de pœnit. d. 2*, hoc est, in causa 33. q. 3. *de pœnitentia*, distinctione secunda, Canone seu capite incipiente: *multi.* — 3.^o Decreti tertia pars citatur, sicut prima, sed cum addito *de consecratione*, v. g. *c. panis, 39. de consecr. d. 2*, vel *de consecr. d. 2 c. 39*, hoc est, in tertia parte Decreti de consecratione, distinctione secunda, capite 39, incipiente: *panis.*

26. Q. II. *Quomodo citentur textus ex reliquis partibus Juris Canonici?*

R. Decretales Gregorianæ citantur allegato capite et titulo, et olim addebatur X. vel x, hoc est *extrâ*, non quod textus sit ex constitutionibus extravagantibus, sed extra decretum Gratiani, v. g. c. *Qualiter, de pactis*, vel c. 2. *de pactis*. vel c. 2. *X. de pactis*, hoc est, in Decretalibus Gregorianis sub titulo *de pactis*, capite secundo incipiente: *Qualiter*. Ceteræ pariter eodem modo citantur cum hac differentia, quod liber VI. significetur per hoc additum *in 6.*, hoc est, libro sexto; Clementinæ per initialem voculum *Clem.*, hoc est, Clementina, putâ constitutione. Si textus est Joannis XXII. additur nomen hujus Papæ; si verò textus est ex Extravagantibus communibus, additur: *inter communes*. Accipe singulorum exempla: c. 2. *de pactis in 6.*, hoc est, in libro sexto Decretalium sub tit. *de pactis. Clem. Abbates, de rescr.* vel *Clem. I. de rescr.*, hoc est, Clementina prima incipiente *Abbates* sub titulo *de rescriptis*; seu in Clementinis constitutionibus sub titulo *de rescriptis*. Cap. I. *Extrav. Execrabilis Joann. XXII. de præbend.*, hoc est, in Extravagante, putâ constitutione, Joannis XXII. incipiente *Execrabilis*, sub titulo *de præbendis*. *Extrav. un. Dispendiis, de postul. inter comm.*, hoc est, Extravagante unica inter communes, incipiente *Dispendiis*, sub titulo *de postulatione*, seu in Extravagantibus communibus sub titulo *de postulatione*, cap. unico incipiente *Dispendiis*. Bullæ extra Corpus Juris allegari solent per initiale vocabulum cum nomine Pontificis, si opus est, addito paragrapho, versiculo, die et anno, v. g. Gregorius XIV. constitutione incipiente *Onus Apostolicæ* 1591. 13 Martii, vel Constit. Gregor. XIV. incip. etc.

27. Q. III. *Quomodo incipientes studere Juri, vel alii ignari, qui proprium cujusque tituli locum nesciunt, facile in praxi quamlibet citationem invenire possint?*

R. Hoc modo: 1. secundum allatam instructionem videatur, an textus sit ex Decretalibus Gregorianis, an ex libro Sexto, Clementinis, aut Extravagantibus: 2. inspiciatur titulus, à qua littera alphabetica incipiat, et mox quaeratur in indice in fine operis.

28. Q. IV. *Quis modus citandi jus civile?*

R. Institutiones citari allegato *pr.*, hoc est, principio, vel §. et quandoque versiculo cum titulo, v. g. §. 1. *mandantis in. de mandato*, vel *Inst. de mandat. §. 1.*, hoc est, in Institutionibus sub titulo *de mandato §. 1.* incipiente: *mandantis*.—*Pandectæ* citantur allegata lege, titulo et *ff.* aut *D.* seu *pandectis*, aut *digestis*, v. g. l. 7. §. 4. *sed cum ff. de pactis*, vel *D. de pactis l. juris gentium §. sed cum*, hoc est, in *pandectis* sub titulo *De pactis*, lege septima incipiente: *Juris gentium*, paragrapho quarto incipiente: *Sed cum* — *Codex* eodem modo citatur præterquam quod ponatur majuscula *C.* quæ Codicem significat, et quandoque loco legis citatur authentica minusculis inserta, v. g. l. 12. *privilegia pr. C. de sacr. Eccl.* vel *C. de sacr. Eccl. l. 12 pr.*, hoc est, in Codice sub titulo *de sacr. Ecclesiis*, lege duodecima incipiente: *privilegia*, in principio: et *auth. cassa C. de sacr. Eccl.*, hoc est, authentica incipiente: *cassa* in Codice sub titulo *de sacrosanctis Ecclesiis*.—*Authenticum*, seu volumen novellarum constitutionum citatur allegata collatione, titulo et capite; hodiè au-

tem brevius allegato numero novellæ v. g. *in auth. de nuptiis coll. 4. c. 1. duo igitur*, vel brevius *nov 22. c. 1.*, hoc est, in authentico sub titulo *de nuptiis*, cap. 1. incipiente: *duo igitur*, vel novella 22. c. 1.—*Libri feudales* citantur allegato titulo, vel numero tituli, et capite, et quandoque §. vel versiculo, cum numero libri, v. g. *lib. 1. F.* vel *FF. tit 7. c. un.*, hoc est, in libro primo feudorum titulo septimo, capite unico *de natura feudi*. Ceterum ut citationem ex Institutionibus, *pandectis*, et *codice* (in aliis enim non est difficultas) facile invenias, consule indices secundum instructionem præcedenti quæstione datam, donè seriem titulorum perspectam habeas.

29. Q. V. *Quis modus discendi jus Canonicum?*

Licet pro varietate talentorum et animorum possit esse varius, tamen ut ordinatè discatur:

R. Sequentia utiliter observari posse: 1.º faciendum est systema generale materiarum totius juris Canonici, tum ut generaliter, et quasi in confuso sciatur quid in quolibet loco tractetur; tum ut excitata memoria promptitudo quidlibet faciliter in jure reperiendi acquiratur; tum denique ut à generali et confusa notitia felicius sit progressus ad specialem et distinctam scientiam.—2.º legendus est aliquis auctor, qui methodo doctrinali et plana materiam cujuslibet tituli pertractet sine magnis ambagibus et argumentis coacervatis ad disputandum, tum ut sciatur quid in puncto juris tenendum sit, tum ne magis utilia per inutilia impediatur. Moderatè tamen disputationes permittuntur, imò suadentur iis, qui sufficienter doctrinalibus sunt imbuti, cum exercitium disputandi ad diligentius legendum et inquirendum inducat.—3.º intellecta doctrina tituli, ad fontem recurrendum est, et singula capitula tituli cum casibus ibi relatis evolvenda, præsertim glossa, vel alio interprete adhibito; uti et specialiter excerptandæ erunt illæ sententiolæ, quæ instar maximarum capitulis interseri solent; v. g. c. 2. *de Const. Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Valent enim ad decisionem plurium materiarum.—4.º faciendæ sunt crebræ reflexiones antea lectorum, et gradatim à titulo ad titulum sine saltu procedendum.

Synopsis Decreti Gratiani.

30. *Prima pars Decreti* dividi potest in quinque principales notas: in prima notabis, quod à *dist. 1. usque ad 24.* agatur de juribus, putâ de jure naturali, divino, gentium, civili, constitutionibus principum, Canonico, consuetudine, Conciliis, Epistolis decretalibus, de ministris, seu exequutoribus Sac. Canonum, præeminentia, ordinatione, et examine, ac probitate ordinandorum. In secunda notabis, quod à *dist. 25 usque ad 50* agatur de tredecim regulis, seu præceptis Apostolicis: oportet Episcopum esse sine crimine, unius uxoris virum (ubi multum de continentia Clericorum), non vinolentum, prudentem, in litteris et negotiis versatum, ornatum honestate interiori et exteriori, hospitalem, pudicum, doctorem, non percussorem, non litigiosum, non cupidum, domui suæ benè præpositum, non neo-

phytum; quæ capitula recapitulantur in *d.* 49, et. in *seq. d.* 50 subditur de lapsu et reparatione Clericorum. In *tertia* notabis, quod à *d.* 51 usque ad 60 agatur de irregularibus et non admittendis ad Ordines, uti sunt curiales et obligati ad ratiocinia, per saltum promoti, servi, corpore viliati, bigami, illiterati, publicè pœnitentes, illegitimi, in ægritudine baptizati, monachi sine consensu proprii Abbatis. In *quarta* notabis, quod à *d.* 60 usque ad 94 agatur de electione Clericorum ad dignitates, eorum ordinatione, litteris, aliisque requisitis ordinandorum, temporibus ordinationum, de vita et honestate Clericorum. In *quinta* notabis, quod à *d.* 94 usque ad *ultimam* agatur de Legatis Apostolicis, delegatis præsum, principibus laicis, litteris scribendis et subscribendis, Primatibus, pallio Archiepiscopali, et tandèm ne in una Provincia plures sint Metropolitanæ.

Secunda pars decreti continet graviore causas 36 circa varia delicta, judicia, Episcopos, Clericos, monachos, et ultimò à *causa* 27 circa sponsalia et matrimonia. In *seq. catalogo* assignatur materia cujusque causæ: prior numerus denotat causam, posterior verò quot quæstiones sint in illa causa.

4	7	de Simonia.
2	8	de Judiciis, accus. appell.
3	41	de Spoliatis.
4	6	de Accusator. et testibus.
5	6	de Libello famoso, et Delatore.
6	5	de Infamibus.
7	2	de Episcopi viventis successore.
8	5	de Successione Prælatorum.
9	3	de Absolutione à censuris.
10	3	de Regimine Episcopi.
11	3	de Censuris variis.
12	5	de Testament. et bonis cleric.
13	2	de Funeribus, et Exequiis.
14	6	de Fænore, et Usura.
15	8	de Furiosis, et eorum. similib.
16	7	de Monachis, decimis.
17	4	de Occisione, maximè Cleric.
18	2	de Abbatibus.
19	3	de Claustris religiosis.
20	4	de Voluntariis religiosis.
21	5	de Commendis clericorum.
22	5	de Juramentis.
23	8	de Pugna et Bello.
24	3	de Hæreticis.
25	2	de Violatione censur. et privil.
26	7	de Sortilegiis.

Matrimonialia

27	2	de Sponsalib. et castitate.
28	3	de Infidelium nuptiis.
29	2	de Servorum matrim.

30	5	de Infantum matrim.
31	3	de Mœchæ matrim.
32	8	de Meretricis matrim.
33	5	de Frigidor. et voto ligator.

Matrim. in q. 3. tractatus de pœnitentia.

34	2	de Dubio circa mortem mariti.
35	40	de Gradibus consanguin. et affin.
36	2	de Raptu Virginum.

Materia harum causarum in jure canonico exprimitur per tritos septem versiculos: *Simon appellat*, etc. in quibus singula vocabula significant materiam singularum causarum.

Tertia pars Decreti habet 5 distinctiones. In 1.^a agitur de consecratione Ecclesiæ, altarum etc., et missarum celebratione. In 2.^a de Sac. Eucharistia. In 3.^a de Festivitatibus, et jejuniis annuis. In 4.^a de Baptismo. In 5.^a de confirmatione, et abstinencia ab illicitis.

Synopsis Decretalium,

31. Libri Decretalium in genere agunt: primus de iudiciis Ecclesiasticis. Secundus de iudiciis, seu processu judiciario. Et quia ad iudicium deduci debent aliquæ causæ civiles, vel criminales, ideò: Liber tertius agit de causis civilibus præsertim Clericorum. Quartus de causis civilibus laicorum, quæ spirituales, seu ecclesiasticæ sunt, uti matrimoniales. Quintus de causis criminalibus Clericorum et Laicorum, in quantum pertinent ad forum canonicum. Hanc generalem Synopsim Glossa complectitur hoc versiculo:

Judex, Judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Liber I Decretalium pro objecto suo principaliter inter materialia habet iudicem, seu personas Ecclesiasticas, et quatuor præcipua complectitur. Principia juris, modos promotionum ad dignitates Ecclesiasticas, ordinationes, et officia Clericorum: tum sequuntur præparatoria ad iudicium, de quo in libro *seq.* Et quidem:—1.^o à *tit. 1 usque ad 4* ad imitationem juris civilis traduntur communia principia juris, quæ sunt vera fides catholica, constitutiones, rescripta et consuetudo.—2.^o à *tit. 5 usque ad 10* traduntur formæ, seu modi, quibus personæ Ecclesiasticæ promoventur, vel amoventur, uti sunt postulatio, electio, translatio ab uno Episcopatu ad alterum, renunciatio, provisio superioris suppletis negligentiam inferiorum Prælatorum.—3.^o à *tit. 11 usque ad 22* traduntur requisita necessaria ordinationum, et impedimenta, seu irregularitates ordinandorum ex de-

fectu provenientes.—4.º à *tit. 23 usque ad 33* traduntur varia officia Clericorum, ut Archidiaconi, Archipresbyteri etc.—5.º à *tit. 34 usque ad fin.* traduntur ea, quæ viam præparant aut impediunt ad iudicium, ut treuga et pax, pacta, transactiones, postulationes advocatorum, procurationes, syndicatus, rescissiones metu gestorum, restitutiones in integrum, alienationes rerum propter metum iudicii, arbitraria.

Liber II. Decretalium pro objecto principali habet processum iudiciarium. Et quidem:—1.º à *tit. 1 usque ad 4* traduntur ea, quæ præcedunt principium litis, uti est notitia de iudiciis et foro competente, oblatio libelli cum citatione rei, mutua petitio, seu reconventio actoris:—2.º à *tit. 5 usque ad 17* quæ pertinent ad principium iudicii iam actu suscepti, uti est litis contestatio, iuramentum calumniæ, dilationes, ordo cognitionum etc.—3.º à *tit. 18 usque ad 26* traduntur ea, quæ pertinent ad medium iudicii, seu terminum probatorium, uti sunt ex parte actoris probationes per confessionem rei, testes, instrumenta, præsumptiones, iuramentum; et ex parte rei exceptiones et præscriptiones.—4.º à *tit. 27 usque ad fin.* traduntur ea, quæ pertinent ad finem iudicii, uti est sententia et res iudicata, appellatio verbalis vel realis, confirmatio sententiæ utilis, aut inutilis.

Liber III. Decretalium pro objecto principali habet causas civiles Clericorum. Et quidem:—1.º à *tit. 1 usque ad 13* traduntur ea, quæ concernunt causas beneficiale, ut Clericorum vita et honestas, continentia, residentia, præbendæ, institutiones, actus qui fiunt sede vacante, vel plena, alienationes rerum ecclesiasticarum.—2.º à *tit. 14 usque ad 30* traduntur ea, quæ concernunt varios contractus, bona, seu peculium Clericorum, testamenta, successiones ab intestato, sepulturas, parochias, decimas.—3.º à *tit. 31 usque ad 37* traduntur ea, quæ concernunt statum, jura et obligationes Regularium, uti sunt transitus ad Religionem, vota, status, et capellæ seu Ecclesiæ monachorum.—4.º à *tit. 38 usque ad fin.* traduntur ea, quæ concernunt jura et actus ad Ecclesiam pertinentes, uti sunt jus patronatus, census Ecclesiastici, consecratio Ecclesiarum, celebratio missarum, baptismus, Eucharistia, reliquiæ SS, observatio jejuniorum, ædificatio et immunitas Ecclesiarum; et tandem in ultimo titulo, qui est conformis primo, statuitur, ne Clerici, vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.

Liber IV Decretalium pro objecto principali habet causas ecclesiasticas laicorum, seu matrimoniales. Et quidem à *tit. 1 usque ad 16* traduntur varia impedimenta matrimoniorum; et à *tit. 17 usque ad fin.* traduntur effectus, et dissolutio matrimonii, uti est legitimitas, et legitimatio filiorum, divortia, dotis restitutio, et tandem agitur de secundis nuptiis.

Liber V. Decretalium pro objecto principali habet causas criminales ecclesiasticas, licet multæ sint mixti fori. Et quidem:—1.º in *titul 1 et 2* præmittuntur ea, quæ iudicium criminale præcedunt, ut accusationes, inquisitiones, denunciationes, calumniæ. His præmissis à *tit. 3 usque ad 9* agitur de criminibus adversantibus Religionem et Fidei catholicæ, uti sunt simonia, judaismus, paganismus, hæresis, schisma, ordinatio à schismaticis, apostasia, et reiteratio Baptismi.—2.º à *tit. 10 usque ad 23* agitur de delictis potissimum iustitiæ adversantibus, quibus nocetur proximo in vita,

fortunis et fama, uti sunt homicidia, torneamenta, duella, ejaculatio sagittarum, adulteria, rapina, furtum, usura, crimen falsi, sortilegia, collusio, delicta puerorum.—3.º à *tit. 24 usque ad 33* potissimum agitur de propriis delictis Clericorum, uti sunt venatio, percussio, maledicentia, ministratio Clerici excommunicati, depositi, interdicti, non ordinati, promotio per saltum, furtiva ordinum susceptio, excessus Prælatorum, et subditorum, novi operis attentatio, excessus in privilegiis.—4.º à *tit. 34 usque ad finem* agitur de purgatione canonica et vulgari, injuriis, pœnis, pœnitentiis, censuris, quæ ad delicta consequuntur.—Tandem adduntur duo tituli de verborum significatione, et regulis juris.

De Abbreviationibus.

32. Scriptores in jure passim utuntur vocibus, et rubricis abbreviatis, v. g. *pr.* principio; *d. l. d. t.* dicta lege, dicto titulo; *h. t.* hoc titulo; *l. f.* ege finali; *arg.* argumento, vel per argumentum legis, aut capituli; *a. s. c.* à sensu contrario; *b. f. m. f.* bona fide, mala fide. Consona in fine duplicata significat pluralem, v. g. *de Temp. Ordd.* de temporibus ordinationum. *L. XII. Tabb.* Lex 12 tabularum. *In citt. U. capp.* in citatis legibus, capitibus etc.—Rubricæ abbreviatæ scribuntur per initiales litteras, adeoque pro his consule indicem alphabeticum titulorum: v. g. *A. R. D.* acquirendo rerum dominio; *D. R.* divisione rerum, rebus dubiis; *J. C.* jure codicillorum; *J. et J.* justitia et jure; *J. et F. I.* juris et facti ignorantia; *J. N. G. et C.* jure naturali, gentium, et civili; *LL.* legibus; *N. O. N.* novi operis nunciatione; *O. et A.* obligationibus et actionibus; *R. C.* rebus creditis; *S. P. R. S. P. U.* servitutibus prædiorum rusticorum, urbanorum; *V. J. E.* veteri jure enucleando; *V. O.* verborum obligationibus; *V. S.* verborum significatione; *R. J.* regulis juris; *R. V.* rei vindicatione etc.